



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XIV. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Stanislaus Kostka S. J. æger à Deip. visitatus Jesulum in ulnas, & Societatem Jesu ineundi consilium accepit. Nihil ei dulcius, quàm de B. V. loqui, legere aut carmina pangere; communi eam verbo Matrem vocabat, ad eam litteras composuit amoris testes, quibus, ut sibi die Virginis Assumptæ mori liceret, petiit, & impetravit, Matrem Filius in cœlum comitatus. *In vita.* Utinam plures numeret Fratres.

O B. Adolescens ora pro me Matrem tuam charissimam, & filialem mihi erga Deum, & illam amorem impetra, præ cuius teneritudine ac vehementia pectus tibi, ne rumpetur, pannis frigidâ intinctis mirigari debuit, ardeam utinam ego amore JESU & MARIÆ, ut ita merear hujus piâ intercessione Filio ejus JESU æternùm frui. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, &c. *fol 190.*

Ad quod impetrandum: Stanislai exemplo, primum manè, & ultimum vesperi ad aliquod B. V. templum conversus, ei me commendaturus genuflectam.

Non tui ipsius causâ progenita es ô Virgo, sed ut orbis universi salutem administram te præberes. *D. Damasc. or. 1. de Nat.*

Quæstio: An fideles explicitè credere teneantur perpetuam B. V. virginitatem? *v. Vega Theol. Mar. num. 1421.*